

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus dei gratia Romanorum imperator et semper augustus. Ex imperatorie maiestatis officio nobis divinitus collato tenemur ecclesiarum utilitati prospicere indubitanter sperantes, per hoc felicem temporalis vite cursum et eterne retributionis premium obtinere. Notum igitur facimus imperii fidelibus presentibus et futuris, quod pro reverencia et honore Iesu Christi et gloriose matris eius, in cuius honore constructa est ecclesia in Puzowe, attendentes etiam devocionem fidelis nostri Alberti abbatis in Puzowe restituimus libere predicto monasterio ecclesiam in Zwicowe cum duobus mansis et decimacione thelonei et L^a scobronum et XII curtibus, que omnia aliquanto tempore iniuste fuerunt ablata monasterio. Ad hec restituimus interventu iam dicti abbatis prememorato monasterio villam, que Vallis sancte Marie nuncupatur, cum XX^{ti} duobus | mansis, qui in vulgari dicuntur lehen, et omnibus terminis suis et omni iure advocacie et eis specialiter terminis, quos Ludewicus de Plaunizc quondam eidem ville indebite abstulerat. Statuimus igitur et imperiali edicto sanctimus, ut contra divalem paginam nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis venire presumat. Quod qui fecerit, in ulcionem pene XL^a libras auri componat, dimidium camere nostre, reliquum passis iniuriam persolvi volumus. Huius rei testes sunt Bertoldus Nuemburgensis episcopus, Everhardus Merseburgensis episcopus, Conradus dux Swevorum, Bernhardus dux Saxonie, Hermannus lancgravius Thuringie, Otto marchio de Brandenburg, Albertus marchio Misnensis, Conradus marchio de Landesberg, Sifridus comes de Orlamunde, Albertus comes de Werningenrode, Rupertus de Durne, Cuno de Minzenberc, Henricus marscalcus de Collendin et alii quam plures fide digni. Signum domini Henrici (M.) sexti Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Conradus Moguntinensis sedis archiepiscopus et totius Germanie archicancellarius recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^oC^oXC^oII^o, indictione decima, regnante domino Henrico sexto Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XX^oIII^o imperii secundo. Datum apud Mersburc per manum Sigeloi prothonotarii VI^o idus decembris.

6. *Bischof Engelhard von Naumburg schlichtet einen Streit zwischen Markgraf Dietrich (dem Bedrängten) von Meißen und dem Abt von Bosau. Der Abt verzichtet auf seine Ansprüche auf die Stadt Zwickau, die dortige Kirche sowie das Dorf Marienthal und überlässt diese Besitzungen und die Kirche zu Osterwein für 250 Mark dem Markgrafen, der die beiden genannten Kirchen dem von Triptis nach Zwickau verlegten Nonnenkloster überträgt.*

1212 Mai 14¹⁾

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: ThStA Altenburg, Landesregierung 4209, fol. 1r (16. Jh.) (B₁) und fol. 2 (16. Jh.) (B₂); ebenda, Schönbergsche Sammlung, Nr. 94, fol. 192r–192v (17. Jh.) (C); ebenda, Wagner Coll., Bd. 5, S. 178 f. (19. Jh. nach Gschwend, Eisenbergische Chronik, ergänzt aus C) (D); ThHStA Weimar, F 509, fol. 1r (18. Jh.) (E). Der Druck folgt C. — Edition: Gotter, Nachricht von dem Eisenberger Nonnenkloster, S. 18 f., Nr. 1 (unvollständig); Stemler, Der Pagus Orla, S. 222 f. (unvollständig); Schöttgen/Kreysig, Dipl. II, S. 437, Nr. 25 (unvollständig); Gschwend, Eisenbergische Chro-